

personas errantes odio prosequatur, sed tantum eorum errores aversetur; studeat, ut animus pace Dei custodiatur, & purus ab affectuum turbationibus conservetur. Utatur æquitate, nec ex præjudiciis vel delationibus, sed ex verbis recte intellectis adversarii mentem æstimet. Defendat veritatem eo animo, ut errantes in viam reducat, recte sentientes confirmet & charitatem verbis factisque exprimat. Qui ad altiora tendunt, & profundius in errorum origines inquirere cupiunt, legant historiam Ecclesiasticam, observent controversiarum ortum & argumenta, quibus adversarii usi sunt, nec non responsiones ab orthodoxis repositas. Cum vero multi antiquorum errores hodie sepulti jaceant, eos quiescere sinamus, & advertamus illos, a quibus Ecclesiæ periculum imminet. Novimus in Theologia revelata tradi credenda & agenda, ad credenda referuntur articuli fidei, qui vel puri vel mixti, vel fundamentales vel non fundamentales, de quibus Theologi fuse agunt. Agenda comprehendunt operationes Theologiæ actibus practicis præscriptæ, ut & habitus ad operationem perducendi. Quæ omnia sub exercitia nostra cadunt, de omnibus enim postulante necessitate seriæ disputationes instituendæ, omnibus etiam Theologiæ consecranei imbuendi sunt. Attamen observandum est, articulos fidei dijudicandos esse juxta scripturæ normam, nec eorum rationes, quomodo res sese habeant, prolixè rimandas. Egregia sunt, quæ pius Basilius Tom. I. Homil. XXIV. p. 247. de sancta Christi nativitate nos docet. *Christi nativitas, inquit, genuina illa & prima ac Deitatis ipsius propria, silentio colatur: imo magis cogitationibus nostris imperemus, ne illa inquirent, neque curiose scrutentur. Ubi enim non tempus, non seculum intercescit, non modus excogitatus est, non spectator adfuit, non est qui enarret, quomodo imaginetur mens ipsa. Quomodo vero lingua ipsa men-*
tis